



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Radbodvs Ep. 29. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

las matronâ Christianâ subministrante. Quòd tam
en cœli Saturnalia instare sibi certus esset, hæc
etiam vité fomenta XL. ante mortem diebus
respuuit, & cùm icones Divorum (tota illi here-
ditas erant) matronæ illi, dē quâ diximus, dona-
set, obvius hostibus ivit, & post multa ludibria
rapratus per urbem, calcibusque passim insultan-
tum pulsatus, tigno denique cæsus oppetiit. Par-
ricidæ carnifex dæmon fuit. Mulierculam lacten-
tes gemini infantes in lecto lacerarunt, ipsi etiam
sceleri immerui. Nec verò aliter decebat aut
patere aut mori viperam. Ex Sur. tom. 7.

Immensus est Deus & infinitus in justitiâ, si-
us & in misericordia; multis ad ignoscendum,
multis ad ulciscendum. Sed misericordia sibi priora
vendicat, ut, si voluerimus, districtio non inveniat
in quem se viat. S. Bern. serm. 1. de Epiph.

S. R A D B O D V S E P . 29. Novembris.

V Itas Divorum RADBODVS speculum suum
dicere est solitus. In hoc dum oculos suos
defixit, alterum nobis speculum vitam ecce suam
dedit. Pieratem in Caroli & Ludovici Imperato-
rum aulâ edoctus est, ipfissimâ virtutis tunc scho-
lâ. Hæc clienti suo insulam Trajectensem pepe-
rit, dignissimo omnium calculis, præterquam suo.
Submittere tamen eamdem ad pauperum pedes,
quos quotidie abluebat, non dubitavit, utque
oculos & suos & aliorum falleret, ex auro qui-
dem bibit, sed aquam; quam cùm libare vellat
non nemo, in merum vertit RADBODVS; itaque
cavit ne pessimus pocillator gloriola venenum
suum virtuti affunderet. Iam Danos, cùm dicenti
ad concionem obstreperent, diris devovit, quas

B b 5

illico

Illico senserunt peste abrepti. Demum mortem sibi alteri insulam suam vaticinatus , inter preces, quibus ferè vitam duxit, absolvit vitam , in opem præcipue D. Martinum vocans , qui morienti adfuisse non vanis argumentis creditur . Illud indubitum, ad decumbentem virginum. Reginam SS. hinc Theclâ, illinc Agnete stipatam venisse , eam ob causam, uti ipsa ajebat , quod in precibus suis RADBODYS numquam non memor VIRGINIS fuisset. Et verò qui matris obliviſci filius posset certè obliviſci filiorum mater hæc non potest. Ex Surio.

Iustitia per se sibi abundat ad gloriam: spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit: à Deo genita calum spectat, in oculis agit divinis, supernis virtutibus mixta, semper à Deo soli, ut glorificetur, expectat. S. Petr. Chrys. serm. 9.

S. ANDREAS. A P 30. Novembri.

ANDREAM, quo D. Petrus germano gaudebat, tradunt omnium primum Christi scholæ nomen dedisse , arcanorum magistri inter paucos omnium concium, quam hauserat doctrinam , ab ejus morte Scythia primò , mox Epiro & Thracie, tum Achaiæ etiam intulisse; hic contra Procos. Ægean, crucis acerrimum iniunicum , fortiter rem gessisse; ab hoc ad impia sacrificia invitatum id respondisse : nobilissim sibi sacrificium , idque quotidianum esse & incurvantum ; Agnum illum orans maculae expertem, & qui, postquam ejus carne sanguineque omnes Christiani vixissent, non minus tamen etiam ipse integer viveret; sub hac in vincula conjectum esse , eximendum falso, nisi manus ipse Christianis, precibus suis, vinxisse.